

sprechen, das bei der abweichenden Auffassung von Dacier nicht verständlich ist: ‚fuisse suspicor, ut imponere, ita ut impomenta ea dicta fuerint, quae diis offerebantur. Ovid. (Fast. 1, 127) *Cereale sacerdos imposuit libum*‘.

Formell liesse sich ein *pōmentum* auch mit *pōculum* *pōtus* zu *bibo* ziehen oder dem griechischen *πῶμα* Deckel gleichsetzen; in beiden Fällen bliebe aber *in-* unverständlich.

Bonn.

Eduard Schwyzer.

De Galatonis tabula.

Aelianus var. hist. XIII 22 duo opera in honorem Homeri facta commemorat, priore loco aedem Homeri his verbis: *Πτολεμαῖος ὁ Φιλοπάτωρ κατασκευάσας Ὀμήρω νεῶν, αὐτὸν μὲν καλὸν καλῶς ἐκάθεισε, κύνκλω δὲ τὰς πόλεις περιέστησε τοῦ ἀγάλματος, ὅσαι ἀντιποιῶνται τοῦ Ὀμήρου*. Doctiuscule et hoc opus videtur esse excogitatum et multo magis illud de quo posteriore loco exponitur: *Γαλάτων δὲ ὁ ζωγράφος ἔγραψε τὸν μὲν Ὀμηρὸν αὐτὸν ἐμοῦντα, τοὺς δὲ ἄλλους ποιητὰς τὰ ἐμμεσερμένα ἀρομένους*. Atque Adolffus Michaelis quidem in Springeri enchiiridio artium I 1907 p. 350 de hac tabula scripserat: *‘der Maler Galaton verspottete grausam die Dichterlinge, die die Abfälle Homers aufschlürften’* qua in sententia Paulus Wolters in editione XI anni 1920 p. 396 pro verbis *die Abfälle* maluit edi: *den Auswurf*. At in novissima editione merito haec talis descriptio tabulae omnino omissa est. Carolus Robert autem in encyclopaedia philologa s. v. Galaton similiter exponit de illa tabula, *auf der Homer dargestellt war, wie er sich übergibt und die übrigen Dichter das Ausgespiene verschlingen*, Augustus Kalkmann denique Mus. Rhen. XLII 1887 p. 520 pari modo: *man scheute sich nicht inquit als Bild auszumalen, wie Homer sich übergibt, während andere Dichter zu sich nehmen, was er von sich gegeben*. Qui dissentit ab eis, qui hanc tabulam, quam appellat *ein ekelhaftes Bild*, re vera arbitrentur ab homine fuisse pictam, fictamque potius a sophista umbratico indicat esse eam neque umquam luci palam in pergula pictoris expositam. Qua in re nos quidem nolumus eius sequi iudicium, nisi quod recte negavit, talem, qualem hi quos nominavi philologi interpretati sunt, a pictore Graeco umquam confectam fuisse picturam. Nam Aelianus de pictoribus et de picturis copiose passim egit in variae historiae voluminibus, memoravit Pausonis tabulam, Ialysum Protogenis (XIV 15 XII 41), memoravit Zeuxin Apellem Polygotum Parrasium alios, usus scriptore Iubae simillimo, idem in eodem opere copiose plastas tractavit et forentas, citharoedos et athletas. Melius tamen locum interpretatus est Aeliani Otto Rossbach eadem qua Robertus scripserat pagina s. s., cui Galaton appellatur *ein Maler, von dessen Werken wir nur eine Karikatur kennen, einen speienden Homer und die übrigen Dichter, welche das Gespiene schöpften ... der ... vorher erwähnte Tempel des Homer ... ist nur wegen des Gegensatzes zu der widrigen Verhöhnung genannt*. Nam rectius quam illi hic verit vocabula *ἀρομένους* et *τοὺς ἄλλους*, cum *ἀρῶσθαι* non possit esse neque *aufschlürfen* neque *verschlingen* neque *zu sich nehmen*, sed haurire in suum usum sive arutaeis, quae Latine dicuntur aquales (Lucil. 17),

sive urnis sive situlis. Atque ex huius verbi interpretatione recta exordiri debebit interpres tabulae, non ex falsa interpretatione verborum *ἐμοῦντα* et *ἐμμησμένα*.

Iam quaeramus oportet sitne revera credibile Graecae gentis hominem effluxisse divini vatis caput sanctum 'sanien eructans et frusta cruento per somnum commixta mero', reliquos Musarum alumnos foedat ore summi poetae reliquias eiectas cupide appetentes. Fufae *τῆς βδελυρίας*, apage, inquam, ne barbarus quidem talia excogitare est ausus. Interpretatione succurrendum est, ne lector abominetur hanc paginam taedio succussus. Atque Homerus primus A 249 *τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν ἀνδῆ*, unde posteri *λόγων νᾶμα ἔξω ῥέον* deduxere, qua de locutione egere interpretes ad Plat. Tim. p. 75 E. Pindarus Nem. 3, 76 propinat *πόμ' αἰοιδίμων ποιίμῳ λόγῳ οἶον ἄλμυρῶν ἀκοῆν ἀποκλύσασθαι* Socrates sese gestire pronuntiat in Platonis Phaedro p. 243 D. Tum et cantores et oratores ipsi fluere dicuntur apud Atticos veluti Cratinus, qui *πολλῶ ῥεύσας ποτ' ἐπαίνῳ* legitur (Aristoph. Equit. 526) similis oratori *Πύθωνι . . . πολλῶ ῥέοντι καθ' ὑμῶν* (Demosth. de cor. 136) Qua figura nemo Cratino facetius usus est, qui de se ipse histrionem induxit praedicantem his versibus (fr. 186 K.): *ἄναξ Ἄπολλον τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων. καταγοῦσι πηγαί, δωδεκάκρονον τὸ στόμα Ἰλίουδς ἐν τῇ φάρυγγι . . . εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν*. Quam ipsam oris loquelam facilem et volubilem si quis *ἐμῆιν* i. e. vomere appellavit, nihil quidem aberravit ab ea via, qua ipse Homerus primus fuerat ingressus. De oratione temere effutita hoc verbum dictum esse in apothegmate apud Eunapium vit. soph. (p. 82 Boiss. edit. Amstelod 1822) *ὡς οὐκ εἰσὶ τῶν ἐμοῦντων ἀλλὰ τῶν ἀκριβοῦντων* expositum est in thesauro s. v. *ἐμῆιν*, simili modo Latine scripsit Martialis XI 90, 6 Accius et quidquid Pacuviusque vomunt. Sine vituperatione tamen usus erat eodem vocabulo, propterea quod melius aut brevius praestitum non erat, Aeliani auctor. Latinos porro de poeta dixisse *cum fluere* (qua de locutione supra egimus LXXIV 1925 p. 114) satis notum nec minus inclaruit M. Tullii sententia teste Plutarcho (Cic. 24 med. qui scripsit (Acad. II 88, 119): *veniet, flumen orationis aureum fundens, Aristoteles*. Aristotelis huius qui pinxit imaginem quomodo pingere potuit artifex, nisi ore flumen aureum evomentem? Eodem modo opinor, quo Tiberinum patrem, qui *flumen vomit in mare salsum* (Enn. ann. 142). Accedit, quod ipse Homerus pater cum Oceano patre, fluminum omnium auctore et rivorum, comparabatur, cuius re testimonium legitur Graecae scriptum apud Dionysium Halicarnassensem (de compos. verb. cap. 24 p. 121 Us. Rad.) his verbis: *κορηγή μὲν οὖν ἑπάντων καὶ σκοπός, ἐξ οὗ περ πάντες ποιημοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρήναι, δικαίως ἂν Ὅμηρος λέγοιτο . . . τῶν δ' ἄλλων δοοτὴν αὐτὴν μεσότηα ἐπειθήδυσαν, ὄστεροι μὲν Ὅμηρον μᾶκρῶ, παρ' ἐκείνων ἔξεταζόμενοι φαίνονται ἂν, καθ' ἑαυτοῦς δὲ εἰ φεωροίη τὸ αὐτοῦς, ἀξιοθέατοι . . . Σιησίχορός τε καὶ Ἀλκίαιος . . . Σοφοκλῆς . . . Ἡρόδοτος . . . Δημοσθένης . . . Δημόκριτός τε καὶ Πλάτων καὶ Ἀριστοτέλης*. Ubi τῶν(δ') ἄλλων, qui Homero comparantur, non solum poetarum personae spectantur, sicuti apud Aelianum l. s. s., sed et cunctae poetae historici oratores philosophi solemniter, quem non numquam neglexit Dionysius: qua de re vide huius voluminis p. 224 Eundem ordinem servat Quintilianus libro X, ubi 1, 46 de Homero legitur: *Hic enim, quemadmodum ex Oceano dicit ipse* (Φ 196

<omnium> amnium fontiumque cursus initium capere, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit.

Neque igitur mirabimur, quod apud Longinum (de sublim. 13, 3) Ὀμηρικώτατος inducitur ὁ Πλάτων, ἀπὸ τοῦ Ὀμηρικοῦ κελύου νεύματος εἰς αὐτὸν μυρίας θάλασσας παρατροπὰς ἀποχεινευόμενος. Qui non, sicuti illi omnes Galatonis poetae, ex istius Oceani undis immensis urna hausisse, sed inde innumeros quasi rivulos in sua praedia derivasse traditur. Attulit praeterea Otto Rossbach vir doctissimus l. s. s. carmen anapaesticum de Homero editum Berliner Klassikertexte V 2 (1907) p. 4, 134, quo laudatur quod τὴν ... ἀφθιτον ἀδὴν ... πότιος τις θάλασσα ἐπινοῶσας ἄλλοις ... φωσὶν ἐπ' ἀκτῶσιν: unde intellegitur non Furium tantummodo ausum esse dicere *Iuppiter hibernas cana nive conspuat Alpes*. Maxime vero huic quaestioni succurrunt Manilii versus II 8 seqq. qui de Homero: *cuiusque ex ore profusos Omnis posteritas latices in carmina duxit: amnemque in tenues ausa est diducere rivos, unius fecunda bonis*. Ad quem locum brevissime adnotat J. J. Scaliger in editione posteriore (Argentor. 1655 p. 101): *et nescio an alluserit ad historiam Ael. v. h. XIII 22*. Immo, opinor, intelleximus Galatonem novisse doctorum tales de Homero laudes, quales attulimus, neque irrisionis insectationisve quidquam in illa tabula infuisse, sed eum auctorem, quem sequitur Aelianus, male illud elegisse vocabulum ἐμείν, quod aliud aut non potuerat reperire aut noluerat adhibere veluti πτύειν. Cuius vocabuli de significatione nonnulla collecta sunt in adnotationibus eius, quam supra significavimus Eunapii editionis pp. 365. 595. Noluit nempe Cicero l. s. s. scribere *flumen orationis aureum evomens Aristoteles* sicuti scripsit Philipp. V 20 *orationem ex ore impurissimo evomuit*: Aelianique auctor tabulam, hoc ipso verbo dum utitur. satis clare descripsit. In qua Homerus aureum ex ore profundens orationis flumen conspiciebatur, quo modo Pompeiis ex ore Silenorum aliorum fluebat aqua (cf. A. Mau Pompeii Leipz. 1908 p. 233), Romae os marmoreum ingens, quod appellatur volgo bucca veritatis, in similem usum antiquitus confectum creditur esse. Verbum denique ἀρύεσθαι, quod coniungitur verbis ἐκ πηγῆς, ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ similibus, non est quod moneam proprie dici de aquam haurientibus. Nempe *haurire poetas ex Homero* hodieque audimus dici.

Bonnae.

Fridericus Marx.